

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XI. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA XI. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 18. v. 9.

EXORDIUM.

Servi Hebræorum in V. T. hoc privilegio gavisi sunt, ut si sex annis servierint, septimo in libertatem asseri potuerint: Quicumque verò libertate donari volebant, auricula illis perforabatur subulâ, ut essent servi in seculum, Exod. 21. v. 6.

Nos paucis abhinc annis etiam servi fuimus, ferreo belli jugo onerati, quod imminabat cervicibus nostris, ubi lassus non datur requies, Thren. 5. v. 5.

Postquam verò Deus Opt. Max. jugum illud excussit de cervicibus nostris, nosque in pristinam libertatem asseruit, multi repertiuntur, qui libertatem hanc suam malitiosè amittunt, dum pergunt in peccatis prioribus, maluntque servi peccatorum esse, Joh. 8. v. 35. quam libertatem, quam ipse Filius, tanquam verus pacis Princeps nobis acquisivit, ubi nos ab omni iniquitate liberavit, retinere, Joh. 8. v. 36.

Hoc non exiguum, sed mortiferum maledictum, quo Noa filium suum impium Cham oneravit, ut esset servus servorum, Gen. 9. v. 25. non inveniatur hoc in hereditate Jacob, Sir. 23. v. 15.

Cum olim Romani Legatos suos Carthaginem certis de causis mitterent, & cives illos præfractis responsis exciperent, unus ex Romanis dixit: Non opus esse multis verbis, asserre se hîc in sinu suo pacem & bellum, eligerent modò quicquid vellent. Cives Carthaginenses hoc ipso

non movebantur, sed pergebant in obstinatio suâ dicentes: Promeret modò quid vellet: Tum bellum Romanus sinu suo excussit, inquit: Accipite ergò bellum, bellum ad sufficientiam habebitis.

Nos eodem modo procedimus: Deus nobis almam pacem concessit, quæ est

1. *Thesaurus Ecclesie*: Legati enim pacis, qui antè foris amarè flebant, Esa. 73. v. 7. jam stant super custodiam suam vicissim, Esa. 21. v. 8. & si ducialiter prædicant, Psal. 12. v. 6.

2. *Thesaurus Reipublice*. Duo enim illi filii perdit: Velociter spolia detrahe, citò curre, Esa. 8. v. 1. nunc separati sunt, omnis terra habitatur & quiescit, Zach. 1. v. 11. Seniores in Senatu liberè sedent, & de bonis terræ tractant, 1. Macc. 14. v. 9. hinc misericordia & veritas obviant sibi, justitia & pax osculantur se, Psal. 85. v. 12.

3. *Thesaurus Oeconomie*. Agricola se mentem suam facit sine curâ, in pace metit, nec verendum est Midianitas vastare proventum terræ, ut tempore Gideonis, Jud. 6. v. 4. Negotiatores in frequentia iter faciunt, & securè mercimonias tractant, Gen. 37. v. 28. Mechanici quoque opus suum perficere possunt in pace, Sir. 38. v. 28. Non amplius se habet, ut in prioribus diebus, ubi merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat, neque introeunti, neque exeunti pax erat præ tribulatione: sed dixit Dominus exercituum, ut

semen

femen pacis simus : vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum, & possidere facit nos universa hæc, Zach. 8. v. 10. 12.

Hæc ingens gratia est, quâ supremum Numen, post tantos belli tumultus nos vicissim affecit. Sed plurimi id non attendunt, sed abutuntur felicitate hæc ad securitatem & impietatem, ut Sodomitæ, Ezech. 16. v. 49. 50. ut non abs re conqueraris : Hæcine reddis Domino, popule stulte & insipiens, Deut. 32. v. 6.

Ideo surrexi jam tanquam pro Christo legationem fungens, 2. Cor. 5. v. 20. & affero quasi bellum & pacem in sinu meo. Quod si beneficia Dei grato animo agnoveritis, eique gratias egeritis tam verbis, quam operibus, ulterius cogitationes pacis super vos cogitabit, Jerem. 29. v. 11. Sin minus : facile virgam conficiet aliam, non enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

Testes hodie invoco in vobis cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, Deut. 30. v. 19. probate poriora, Phil. 1. v. 10. inquirite pacem, & persequimini eam, Psal. 34. v. 15. Gratas Domino agite pro omnibus bonis, quæ exhibuit nobis, sedulo orantes ut gratiosum hoc donum in diebus nostris conservare dignetur, tanquam Dominus faciens pacem, & creans malum, Esa. 45. v. 7.

Hoc propositum nostrum non incommodè adjuvabit prælecta Pericope, si quidem præsentî Dominicâ solenne pacis restitutæ festum celebramus,

Videbimus ergo instituti nostri memores,

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

CUM Deus ob temeritatem Davidis, quod populum numerasset, iratus esset super Hierusalem, & Angelo percutienti mandavisset, ut disperderet illam, facile pœnituit eum super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum : sufficit : nunc contine manum tuam, 2. Sam. 24. v. 16.

O optimi ! Infernalis ille Abaddon etiam crudeliter grassatus est, in dilectâ Germania nostrâ, ut terra, quæ antè erat quasi hortus Eden, nunc sit quasi solitudo deserti, Joel. 2. v. 3. Sed gratia Dei vivi ad tempus illud pervenimus, ubi vox acceptabilis insonuit : Sufficit, nunc contine manum tuam. Gladii enim hostis consumti sunt, Psal. 9. v. 7. Hinc vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum, Psal. 118. v. 15.

Quia verò juxta Poetam :

Non minor est virtus, quam quærete,
parta tueri :

Audiamus, quid Dominus Angelo Philadelphix scribere jubeat : Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, Apoc. 3. v. 11.

Sed methodum nostram observantes Querelam videbimus, quæ respicit

I. Pacis osiores, qui sunt Papa & asseclæ ejus, quemadmodum enim Phariseus publicanum contemnit : sic & nos lampas contemta sumus, apud cogitationes divi-
d d d tum,

tum, Job. 12. v. 5. Maximè verò à Pontifice velut hæretici excommunicamur & damnamur, nec digni habemur, qui ex aëre respiremus, nedum tanto beneficio fruamur, sicuti Monasterii contra pacem protestatus, postmodum etiam peculiarem Bullam publicavit, in quâ omnia quæ inter Imperatoriam Majestatem, Dominum nostrum Clementissimum, & Reges Sveciæ & Galliæ unitos acta sunt, pro nihilo declarat. Jesuitæ quoque pridem Comœdiam egerunt, in quâ pacis constitutiones contumeliosè traduxerunt, & tandem ad patibulum relegarunt.

Hoc ipso hi homines ostendunt, cujus filii sint; Deus enim Deus pacis est, 2. Corinth. 13. v. 11. & Christus Princeps pacis, Esa. 9. v. 7. Quicumque igitur pacem odio habet, non à Deo est, nec Spiritum Christi habet, Rom. 8. v. 9. Verè ergò pertinet ad Synagogam Satanæ, ad filios Beelzebub, quibus non est pax, Esa. 48. v. ult. sicut pater eorum est homicida ab initio, Joh. 8. v. 44. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius, Sap. 2. v. ult.

Bellum est verum tohu vabohu, ubi adeò omnia turbantur, ut omnia errent in solitudine, Psal. 107. v. 4. Tum enim infantes alliduntur in oculis parentum, domus diripiuntur, & uxores violantur, Esa. 13. v. 16. ut pueri & senes, virgines & juvenes jaceant in terrâ, Thren. 2. v. 21. prægnantes interficiuntur & scinduntur, 2. Reg. 15. v. 16. juvenes confodiuntur gladio, Jer. 18. v. 21. hinc Gentiles palatium Martis ita delinearunt, ut omnes parietes, omnia conclavia, imò tectum ipsum ex ferro sint, undiquaque sanguine conspersa, & partim igne repleta, intrinsicè sedente

morte tetrico vultu, quo indicarunt, in bello, nil nisi cædes & homicidia, spolia & incendia grassari. Alias pœnas & plagas vocat Deus virgas vitorum, & plagas filiorum hominum, quia in illis semper gratiæ & misericordiæ suæ recordatur, 2. Sam. 7. v. 14. verùm bellum castigatio crudelis est, Jer. 30. v. 14. in quâ Deus mittit iram indignationis suæ, Psal. 78. v. 49. ut nulla sit curatio, 2. Paral. 36. v. 16.

Attamen malitiosi illi homines semper bellum optant, & ubique classicum canunt, ut Magnates terræ ad diffidia provocent. Et quidem, id suo prope exitio fieri potest, ut quia bellum serunt, bellorum messem metant. Interea rogamus Deum ex animo, ut pacem nobis ille conserveat, auferens bella, usque ad finem terræ, Psal. 46. v. 10. ut aliquando verè dicamus: Omnis terra habitatur & quiescit, Zach. 1. v. 11. Concordia enim res parvæ cretunt: discordia magnæ dilabuntur. Hoc ipsa experientia docuit nos, ideò nullum bellum cupimus, sed pax delictæ nostræ: eamque, quantum in nobis est, cum omnibus habebimus, Rom. 12. v. 18. Beati enim pacifici, Matth. 5. v. 9.

II. *Obstinosos peccatores*, qui peccatis adfuerunt in iisdem pergunt, pœnitere renuentes. Hæc in parte Phariseus in hodierno Evangelio melior ipsis, ascendit enim in templum, ut oraret, nec minus honestati operam dedit, non erat raptor, injustus, adulter, jejunabat bis in Sabbatho, decimasque dabat omnium, quæ possidebat: hæc mera bona opera sunt, quæ facere studeamus, Rom. 2. v. 9.

Sed hoc parùm observatur: Phariseus ascendit templum ut oraret: Inter

Inter nos pauci sunt, qui orationibus publicis interfunt: execratores verò & blasphemii ubique audiuntur. Sed non concedet Deus ut nomen ejus sanctum polluatur amplius, Ezech. 39. v. 7.

Pharisæus non fuit adulter: sed hodie unusquisq; ad uxorem proximi sui hincit, ut equi libidinosi, Jer. 5. v. 8. Quod inde est, quia nõ debito zelo in flagitium hoc animadvertitur, cui qui affines sunt, mortis tamen rei pronunciantur, Lev. 20. v. 10.

Pharisæus non erat injustus. Hodie querela Michæ obtinet: Perit sanctus de terrâ, & rectus in hominibus non est &c. Mich. 7. v. 2. quod si violentia fieri nequit, fraudibus exercetur, sub prætextu justitiæ. Nam sicut cavea plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo, Jer. 5. v. 27. hinc imminuunt mensuram, & augent siclum, & supponunt stateras dolosas, Amos 8. v. 5. Verùm injusti Regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6. v. 10.

Pharisæus bis jejunavit in Sabbatho. Quis hodie est, qui corpus suum ita affligat? Facilius reperies, qui vix bis in septimanâ sobrii sint, præcipuè inter potentes ad bibendum vinum, & fortes ad miscendam ebrietatem, Esa. 5. v. 22.

Pharisæus dedit decimus omnium, quæ possedit! Hoc nemo facile imitabitur. Nam facile beneficentiæ modum ponimus. Hoc inde est, quia Christo non creditur dicenti: Date & dabitur vobis, Luc. 6. v. 38. Hinc non mirum, quod loco benedictionis maledictio sequatur. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam, Prov. 28. v. 27.

Hi ita pacis fructus sunt, quibus hæcenus gratum nostrum animum contestati

sumus. Putatisne verò, Deum id impune laturum? Minimè. Non Deus volens iniquitatem tuas, Psal. 5. v. 6. Quicumq; igitur sapit, quiescat agere perverse, & dicat benefacere, Esa. 1. v. 16. Vult enim Deus ut zelotes simus bonorum operum, Tit. 2. v. 24. & per illa fidem nostram ostendamus, Jac. 2. v. 17. hoc qui non fecerit, à Christo reprobrabitur, Matth. 25. v. 41.

III. *Vanos gloriatores.* Qui multum gloriantur de bonis operibus, in corde verò ne scintillam fidei habent & amoris, quod tamen oculi Dei vel maximè respiciunt, Jer. 5. v. 3.

Ideam habemus in prælectâ Pericope in Pharisæo, qui quidem rectè fecit, quod bonorum operum studiosus fuit: quia verò illa pomposè ostentat, iisque meritum adscribit, & gloriam hominum captat, hoc ipso meritorum mercedem amittit. Domino enim soli gloria debetur: ideò conclusit omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur, 1. Roman. 11. v. 32.

In Papatu jactabundi ejusmodi Pharisæi plurimi inveniuntur, qui peregrinationibus religiosis, votis monasticis, flagellationibus, aliisque cultibus electis cælum promereri satagunt. Nota est vox Monachi illius Argentinensis: Domine, da mihi, quod promisisti, quia feci ego quod jussisti. Verùm iniquè. Quod si enim omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10.

Inter Nostrates quoq; ejusmodi gloriosi occurrunt, qui ore dicunt, Domine,
ddd 2. Domi-

Domine, Matth. 7. v. 22. & externè honestam vitam ducunt: re ipsa verò hypocrisis sunt, qui exterius sanctitatem simulant, cor verò ipsorum in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis est, Actor. 8. v. 28. Orantilli, Pater noster, in corde verò putant aurum robur suum, & obrizo dicunt: Fiducia mea, Job. 31. v. 24. Orant: Sanctificetur nomen tuum: interea quærunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei, Joh. 12. v. 43. Petunt: Adveniat Regnum tuum: interea Regnum gratiæ in cordibus suis perdunt, ut peccatum regnet in mortali suo corpore, Rom. 6. v. 12. Precantur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè: & tamen proximo bolum è faucibus eripiunt, quo ipso ceu sorices produnt se, quod in numero eorum sint, quos Siracides homines sanguinis, & homicidas appellat, Sir. 35. v. 25. Orant: Remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitoribus nostris: nec tamen peccatis valedicere, multò minus proximo ignoscere volunt, ideòque nec ipsi remissionem sperare possunt, ut Christus dilucidè ait, Matth. 18. v. 35. Petunt: Ne nos inducas in tentationem: & ipsi in peccata præcipientes ruunt, dum peccatis suis Diabolum alliciunt, qui *καὶ ἑξοχὴν* tentator dicitur, Matth. 4. v. 2. Precantur denique: Domine, libera nos à malo: & tamen Dominum subindè ad iram provocant, qui creat malum, Esa. 45. v. 7. & animam & corpus in gehennam perdere potest, Matth. 10. v. 28.

Hæc oratio iniquitatis est, quæ in cælum ascendere nequit. Deus enim peccatores non audit, Joh. 9. v. 31. ideò humiliemur sub potenti manu ejus, 1. Petr. 5. v. 6.

ut Daniel, cap. 9. v. 19. Superbi tibi ab initio non placuerunt: sed mansuetorum & humilium semper tibi placuit deprecatio, Judith. 9. v. 15.

De Secundo,

Sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex templorum restitutione*, quæ per pacis constitutionem recuperavimus. De Pharisæo & Publicano dicitur, quod adscenderint templum ut orarent. Hoc de templis A. C. hujus civitatis dici non potuit, quæ per quatuordecim annos clausa & Auditoribus interclusa fuerunt: ut sub dio in frigore & æstu, pluvii & tempestatibus sacra sua peregerint. Jam nobis templa nostra restituta sunt, Dei gratiâ, ad quæ cum caterva ambulare possumus, in voce exultationis & confessionis, cum sono festivitatis, Psal. 42. v. 5.

Hæc ingens gratia est, pro quâ nunquam Deo dignas gratias agere possumus. Templata etenim sunt

1. *Domus nostra informationis*, ubi Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. per Præcones suos nos utilia docet, Esa. 48. v. 17. artem piè credendi, patienter sustinendi, devotè orandi, piè vivendi, & beatè moriendi: quæ supereminens scientia est, Eph. 3. v. 19.

2. *Domus nostra consolationis*. In hoc mundo multæ tribulationes justorum, Ps. 34. v. 20. ut ad pacem amaritudo nobis amara, sicut Hiskia, Esa. 38. v. 17. optimè igitur facit, qui cum Assaph in Sanctuarium Dei intrat, Psal. 73. v. 17. ibi reperitur solatium adversus peccata: Christus quippè donavit nobis omnia delicta, delens, quod adver-

adversus nos erat chirographum, Col. 2. v. 14. Solatium contra mortem, cujus stimulum ille abstulit, 1. Cor. 15. v. 55. Solatium contra tentationes mundi, Christus namque mundum vicit, Joh. 16. v. 33. Solatium adversus omnes miseras, Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperantur, 1. Rom. 8. v. 28.

3. *Domus nostra orationis*, ubi quasi manu facta Deum adorimus, & hæc vis ei grata est, ut Tertullianus ait. Omnes qui ita confluerunt ad eum, non eonsulæ sunt facies eorum, Psal. 34. v. 6. Hinc vocatur domus orationis, Luc. 19. v. 64.

O Optimi! invisemus in posterum diligentius sacraria nostra, ne dicatur, ut in Evangelio dicitur: *Ascenderunt duo homines* in templum, ut orarent: sed turbæ irruant in illa ut audiant verbum Dei, Luc. 5. v. 1. Ne Christus propter verbi contemptum exeat de templo, & nunquam revertatur, ut Judæis accidit, Joh. 8. v. 59.

II. *Ex liberi exercitii confessione.* Hic audimus, & Phariseum & Publicanum ascendere in templum ad cultum Deo litandum. Hoc probè notandum: Judæi enim sub Imperio Romanorum erant, nec habebant Regem, nisi Cæsarem, ut ipsi confitentur, Joh. 19. v. 15. at tamen Cæsar non impediēbat, quò minus religionem suam liberè exercerent, quia nemo cogitur, ut credat invitus, ut Theodoricus dixit.

Hanc gratiam impetrare non potuimus, tempore Deformationis, qui enim characterem bestię recipere noluit, cum magno incommodo, & jactura bonorum temporalium solum vertere, & in exilium migrare coactus fuit, quod etiam

hic penè factum, ut Acta Augustana probant.

Ast nunc Dei gratia à jugo hoc immunes sumus, ut confidenter prædicare possimus, Psal. 12. v. 6. & perstet conscientię libertas sua. Stemus ergò in libertate, quâ Deus nos liberavit, Gal. 5. v. 1. oremusque Dominum, ut hanc gratiam & ad posteros nostros propagare dignetur, confirmetque quod operatus est in nobis, Psal. 68. v. 29. Hæc oratio non frustranea erit. Propè enim est Dominus invocantibus se, Psal. 145. v. 8. id respectu nostrum quoque faciet, conteretque Satanam sub pedibus nostris brevi, Rom. 16. v. 20.

III. *Ex tranquillâ propria domus possessione.* De Publicano memorat prælecta Pericope, quod descenderit in domum suam.

Magna felicitas est, si dicere possis: Ego eo in domum meam, tu is in domum tuam, ille it in domum suam. Id tempore belli dici non potuit: omnia enim direptioni obnoxia erant: nemo dicere poterat, hæc mea sunt. Simulac milites limen salutabant, dicebant: Veteres migrate coloni!

Hic iterum Deo gratiæ agenda sunt, pro almâ nobis restituta pace. Jam quilibet in pace domum suam repetere potest, & sub vire suâ, & sub ficu suâ securè habitare, 1. Reg. 4. v. 25. Nunc in pace cibum nostrum comedere possumus, & eò melius credere Salomoni, quod melior sit buccella sicca cum pace, quam domus plena victimis cum jurgio, Prov. 17. v. 1. Nunc in pace quiescere possumus in lecto nostro, nec timendum, quenquam esse, qui nos exterreat, Levit. 26. v. 6.

O quanta gratia! quis condignè eam
 ddd 3 præ-

prædicabit? Licet multa dicamus, attamen in verbis deficiemus, Sir. 43. v. 29. Observamus ergo illud Augustini: *Fac justitiam & habebis pacem, dua amica sunt pax & justitia, qua se invicem osculantur, qui igitur vult unam, & alteram non facit, frustra laborat.* Vultis igitur filii pacis esse, & hoc bono diutius frui? Seminate vobis in justitiâ & metite misericordiam: arate vobis arationem: tempus autem requirendi Dominum, donec veniat, qui docebit vos justitiam, Ose, 10. v. 12. Id in summa perfectione fiet, quando aliquando pervenimus in habitationem pacis, Esa. 32. v. 18. & palmas in manibus gestantes, Apoc. 7. v. 9. Alleluja cum gaudio cantabimus, in omnibus plateis cœlestis Hierusalem, Tob. 13. v. 22.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt:

1. *Templum frequenta.* Hâc in re & Pharisæus & Publicanus exemplo nobis suo præiverunt. Licet enim non eandem devotionem afferant, propositum tamen eorum eatenus laudandum est, quatenus unâ ad domum Dei proficiscuntur.

Discamus hoc ab ipsis, si pacem nobis concessam conservare voluerimus, juxta illud: *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, Matth. 6. v. 33.*

Quando itaque Deus à morbis, aut ex alio periculo nos liberavit, prima hæc nostra via sit, ut ad domum Domini proficiscamur. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, ut illuc ascendant tribus, tribus Domini,

Psal. 122. v. 34. & hoc ipsum quærit Deus per tribulationem, quâ nos ad se attracturus est, ut serviamus ei omnibus diebus in justitiâ & sanctitate, coram ipso, Luc. 1. v. 25.

Ubi quæso melius nobis erit, quàm eo in loco, ubi memoria nominis ejus fuerit, ibi venturus est ad nos & benedicet nobis? Exod. 20. v. 24. Gloriosa dicuntur in te, civitas Dei, Psal. 87. v. 3. hæc mysteria Dei sunt, abscondita à seculis, nunc verò tempore ultimo innotescunt, Eph. 3. v. 9. Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18. Iccircò eò libentius ibi degamus cum Davide dicentes: *Domine diligo habitaculum domus tuæ, Psal. 26. v. 8. Esa. 2. v. 3.*

Hoc unicum est necessarium, quod si commendatum nobis habuerimus, optimam partem elegimus, quæ non auferretur à nobis, Luc. 10. v. 41.

Verum contrarium hodiè proh dolor experientia ostendit: plurimi obliviscuntur domus Domini, inhiantes terrenis, & festinantes in domum suam, Hagg. 1. v. 10. sive properantes ad domum convivii, Eccl. 7. v. 3. ut Belsazer, Dan. 5. 4. aut ad domum meretricis, ut juvenis ille, Prov. 7. v. 22. hoc verò non misericordiam provocat: sed potius iram excitat & furorem accendit, Judith. 9. v. 12.

Propterea libentius ad domum Domini ambulemus, non deserentes collectionem nostram, sed adhortantes, & tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem, Hebr. 10. v. 25.

Ad hoc gravissima nos causa impellat, maximè postremis hisce temporibus, ubi

Sata-

Satanas ubique classicum canit. Veluti enim Joas in infantia sua à furore Athaliae, quæ omne semē Regium interfecit, texenium in domo Domini absconditus est, donec eum Sacerdos Jojada produxit, & diadema Regium ei imposuit, 2. Reg. 11. v. 1. seqq.

Sic domus Domini quasi asylum nostrum est, quò in omnibus adversitatibus confugere possumus, sic abscondemur à superbia vitorum, Psal. 31. v. 21. ut non moveamur vehementer, Psal. 62. v. 3. non quidem propter domum, sed propter Dominum, qui ad se venientem non ejiciet foras, Joh. 6. v. 38.

II. *Diligenter ora.* Ascenderunt enim in templum, ut orarent. Hæc necessaria pars est, quam hodiè solenni hoc pacis festo, & aliàs semper observemus. Veluti enim aqua per canales in civitatem derivatur: Sic & fluvii divinæ gratiæ unicè per canales orationis ad nos defluunt, juxta illud: Petite & accipietis, Matth. 7. v. 7. 8.

Quod si cælestis Pater in Ecclesiâ, Politia & Oeconomiam benedictione sua nos ornare debeat, oratio non negligenda, sed summum Numen invocandum est, ut in elientelam suam adversus Diaboli, & affectarum machinationes nos recipere, & tueri dignetur. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborabunt, qui ædificant eam, Psal. 127. v. 1.

Cum exploratores Moysi ad torrentem Escol venirent, abscindebant palmitem cum uva sua, quam portaverunt in veste duo viri, quò popularibus suis illum ostendere, & fecunditate terræ promissæ, eò luculentius demonstrare possent, Nû. 13. 29. Ita pulcherrima uva pacis, quam Deus

quasi in veste nobis præferri finit, ad veram pietatem nos exciter, ut mundo, ejusque concupiscentiis valedicamus, & quod reliquum est in carne, non desideris hominum: sed voluntati Dei vivamus, 1. Petr. 4. v. 2. quin & quotidie genibus flexis Deum invocemus, ut quod in nobis cœpit bonum opus, ad posteros propagare, & perficere velit, usque in diem Jesu Christi, Phil. 1. v. 6.

Verùm hîc parùm emendationis cernitur. Statæ quidem horæ precatoni destinatæ sunt, at pauci eas visitant, vel licet accedant illas, attamen sine devotione orant, sed ululant modò, Os. 7. 14. aut in opere operato confidunt, ut Phariseus noster in Evangelio, Verùm hoc ipso parùm Deo ministratur. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3.

Diligentius igitur ad orandum conveniamus, ac hæcenus factum, si pacem conservare velimus. Verè enim Origenes: *Plus valet unus sanctus orando, quàm mille peccatores praliando.* Sicut Moses oratione sua Amalec devicit, quod vix Josua pugnando obtinisset, Exod. 17. v. 11. Potissimum verò hoc solatium nobis restat, quod devoluturus sit nobis Deus deprecationem pacis & veritatis, Jer. 33. v. 6. & ita confortaturus seras portarum nostrarum, Ps. 147. v. 13. ut nulla sagitta ab hoste mittenda sit in eam amplius, ut de Hierosolymâ dicitur 2. Reg. 19. v. 32.

III. *Beneficium pacis deprecanda.* Hîc Pharisæum Deo gratias agere percipimus, quando ait: Deus, gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Lices

Licet autem minimè probandus fastus hïc subest, dum aliis superciliose se præfert, tamen in genere gratiarum actionem ab eo discamus, maxime hodierno die, ubi nobis in memoriam revocamus, maxima illa beneficia, quæ nobis Deus per restitutionem pacis exhibuit, in omnibus Hierarchiis, & Domino confiteamur, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus, Psal. 118. v. 1.

Eo fine Deus olim in V. T. festa anniversaria, Paschatos, Pentecostes & tabernaculorum ordinavit, ne Israelitæ obliviscerentur beneficiorum ejus, sed gratâ mente ea recolentes fidem suam confirmarent. Hinc David: Suscitavit (Deus) Testimonium in Jacob: & Legem posuit in Israel &c. Psal. 78. v. 5. 6. 7.

Idem nobis quoque dictum esto. Hæc enim ex causa Deus præ omnibus aliis Creaturis ejusmodi linguis nos ornavit, quæ verba articulata proferre possunt, ut illas laudibus Dei aptemus, & cum Davide nos ipsos excitemus, dicentes: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & Psalmum dicam Domino. Exsurge gloria mea &c. Psal. 57. v. 9. 11.

Hæc in parte sancti Dei homines exemplo suo præiverunt nobis. Israelitæ, Exod. 15. v. 1. Num. 21. v. 17.

De Davide dicit Siracides: Pro singulis rebus præclare gestis gratias agebat sancto Altissimo, egregio Cantico. Cantabat ex toto corde, & diligebat eum, qui ipsum creaverat, Sir. 47. v. 9.

Quantum Jubilum excitavit Rex Josaphat, cum filios Ammon, Moabitas, & habitatores montis Seir sine armis prostravisset? Congregati enim sunt in valle benedictionis, & benedixerunt ibi Domino, 2. Chron. 20. v. 26. Hæc exempla nos quoque imitemur, ut sit vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Verum enim semper & ubique manet: Dexteræ Domini fecit virtutem, Psal. 118. v. 16. hoc placebit Domino super juvenem, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 33. Nam sacrificans laudem, honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psalm. 50. v. ultim.

Hanc DEUS largiatur nobis omnibus, Amen!

DOMINICA XII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 7. v. 31. -- 36.

EXORDIUM.

DE Josepho memoratur, quod Dominus propter illum benedixit domui Putiphari. Ab eo enim tempore, quo eum domui & bonis suis præfecerat, Deus multipli-

cavit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substantiam, Gen. 39. v. 5.

Josephus Typus Christi fuit. Sicut enim Deus propter Joseph domui Putiphari benedixit: Ita adhuc hodiè benedicit

spi-